
# DEO OPTIMO MAX.

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICA*,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis primâ mensis Decembris, Anno Domini M. DCC. LXIII.*



## M. BENJAMIN-LUDOVICO LUCAS DE LAUREMBERGT, Doctore Medico Præside.

## *An in tanta multitudine medentium pauci Medici?*

I.



MEDICINA naturæ imitatio; Natura opus Dei. Ob vim rationis ab Autore inditam, etsi absque ratione tam sapienter omnia administrat cum sui juris est, ut nihil sapientius videri possit. Cum principia naturæ morbos curantis, medicinæ quoque principia sint, idem cum natura facere conantis, quod eam solam facere viderit, fundamenta artis non dubia existimanda sunt & nutantia, sed tam firma ut leges medicinæ naturæ ipsius leges dici possint. Nec id mirum: quam enim in operibus suis constantiam à Deo natura accepit, hanc ipsam à naturâ diligenti quantum potest imitatione medicina mutuatur. Etsi enim quod natura sola facit id perfectius faciat, quam cum arte tanquam instrumento utitur, non aliam tamen viam tenet, quæ medicinæ firmitas est & omnis securitas. Habes in natura legem Dei; habes in medicina legem naturæ; quam sequendo Medicus non errantem errare non potest, cum iisdem præsidiis utitur quæ natura ad hominum salutem adhibere solita est. Si alia sit natura, alia quoque medicina sit: sed si una & eadem est, alius quidem remediorum usus esse potest; sed alia methodus, & alia medicina esse non potest. Necessitas quæ artes parit, ad vomitum naturam impulit, quem ipsa medicinam docuit, quæ naturam imitata ratione & doctrinâ præscripsit, quem illa prius absque doctrinâ sed doctè præscripserat, neque viam partis ipsius naturæ repugnantem tentasset nisi anteà feliciter à natura tentatam, Φλεβοτομία qua humorum æstuantium omnem impetum nullum aliud remedium citiùs comprimit, naturæ magis quàm artis inventum est. Non solum αἱμοῤῥαγία in viris, & fluxu tam utili hæmorrhoïdum, ut alia taceam, sed etiam in altero sexu αἱμοφόβοι singulis mensibus refelluntur. Quid varices? tentamentum inane expellendi sanguinis, & conatus naturæ imperfectus nonne morbis pluribus sanandis inserviunt? Quæ tamen utiles esse non possunt, quin maximè hujus remedii utilitatem probent. Si enim sanguinem loco moveri vel cum aliarum partium detrimento prodest, quantò magis si & commodiori viâ ac breviori efficaciùs educeretur. Quid certius quàm naturam sub noxiorum humorum mole labo-

* *Autore M. JOANNE HAMON, 1687.*

rantem eorum exitu adjuvandam esse, cum natura idipsum faciendo, quid nobis faciendum sit, tam sæpè ostendat? Quacumque viâ id potest exonerantem se, & in sudore ac ipsius transpirationis beneficio præsidium quærentem (quæ sudorificorum & diaphoreticorum manifesta approbatio est) nonne Medici cum laude imitantur? Quid cum tam multi morbi alvi profluvio sanentur, sine quo nulla satis certa curatio est, an jure Medicus arguetur qui viam à naturâ tam tritam sequi non dubitat? cum partes principes plures ad se exonerandum vias nactæ sint, cum cerebrum præter glandularum adjacentium præsidium & commoditates oculis etiam ac auribus & ore ad excludendos humores noxios abutatur, cum patentes narium meatus non magis ad respirandum quam ad purgandum sortitum sit, hoc ipsum prudentem Medicum admonet, sanitati maximè contrariam esse κακοχυμίαν, & in morbis præcipuarum partium in quibus vitæ fons est & conservatio, sæpius esse purgandum, si nihil obster, quam in aliarum partium morbis; quis aurium surditatem, & tam multa oculorum vitia, tam exiguarum partium, universa totius corporis purgatione sanari debere crederet, nisi hoc à magistrâ naturâ fieri videremus? Manifesta est urinæ non morantis utilitas, & liberiùs profluentis, quod cum maximis morbis sanandis inserviat, eadem hæc via ab arte, quæ à naturâ tentatus. Cum per varia exanthemata, innumerasque cutis fœditates natura expellat, quod intus, nisi expelleretur, mortem inferret, nonne ex hoc fonte hirudines, cucurbitulæ, vesicatoria, & alia hujusmodi remedia prodierunt? Quid cum morbos in remedia convertit, & ulceribus quæ sanari non potuerunt, ad salutem totius corporis abutitur, nonne cauteriorum utilitatem docuisse existimanda est, quæ constanti & non intermisso auxilio præcipuarum partium infirmitatem sublevant, quod semper affluit, semper exhauriendo? sed ne injuriâ & iniquitate calumniantium ars nobilissima violari posset gravissimum testimonium sumit à naturâ, cui adjutrix à Deo data est, & cui tam firmo nexu inhæret, ut ab eâ separari non possit; testimonium sumit à mirabili scientiâ prædicendi, quæ morborum eventus in futuri temporis obscuritate adhuc latentes, tanquam cernerentur oculis, clarè annuntiat; testimonium à Medicis qui vim illius magis perspectam habent, & illam certiùs in tot hominibus, quos ab ipsis mortis faucibus eripit, experiuntur; testimonium ab Agyrtis & imperitis, qui errando tacitè alios admonere possunt ne similiter errent, & ipsâ erroris calamitate viam ostendunt quæ sequenda erat à quâ imperitè recedentes ita lapsi sunt ut in artem peccando, veritatem tamen ipsius artis vel inviti commendare videantur; testimonium à morbis, tanquam ab argumento peritiæ & potestatis suæ; testimonium ab ægris, sive qui ab eâ salutare auxilium non frustrà petierunt, sive ab eis qui non petiere & quibus defuit; testimonium ab inimicis qui periculosi contemptus non rarò pœnas luunt; testimonium denique ab intemperantiâ perpetuâ illius inimicâ, quæ tam multos occidit, quos sanctis & necessariis sobrietatis suæ legibus servare potuisset.

## I I.

SIC omnem artem mutis quibusdam naturæ institutis & legibus constitutam & excultam habemus, quarum si ratio habeatur nihil certiùs istis medicinæ velut fundamentis de quibus non magis, quàm de clarissimarum scientiarum principiis dubitandum cum non opinione sed naturâ constent. Sed cum ab hac luce universalium principiorum, ad unumquemque sanandum descendimus, in magnâ sæpè obscuritate versamur, & tenebris tam densis circumfundimur ut opinio nostra conjecturâ magis quàm ratione fulciatur. Interdum Dogmatici nequidem Empirici sunt, cum nec ratio obscuris, nec experientia inusitatis affulgeat: tunc Medici prudentia non festinantis, cum veritate aperta non possit, verisimilibus tantum conjecturis innititur, & naturæ non adjuvantis silentium quoddam majori diligentiâ, & soler-

ctiori curâ emendare conatur; tunc ex præteritorum recordatione quærit subsidium; & similitudines consectatur profuturas, à quibus, cum à naturâ non possit, apti tandem & utilis remedii indicationem mutuetur. Ita nec in his raris medicina deficit, quin aliquod auxilium ægris suppeditet, & sæpè cogitandi & meditandi patientia lucem quandam affert rebus obscuris, ita ut aptum remedinm, quod inveniri non posse existimabatur, investigandi pertinacia invenerit. Si sui juris est natura, & ipsa curanti Medico præire cernitur, prudenti Medico facilia sunt omnia, præsertim si exercitatio non desit: usus enim ratione & experientiâ comparatus optimus medendi magister est: sed nec incipientibus desperandum est, quibus si nec ingenium, nec scientia desit, quod exercitati statim pervidere possunt, id quoque ipsi sæpiùs & diligentiùs rem secum versando assequentur. Si verò parum abest quin natura vincatur & hosti cedat potentiori, si vires ita opprimantur ut extinctæ videri possint, diuturnâ cogitatione & velut fixâ in naturâ & morbo ægrotantis viam inveniet qua impedimenta naturæ, vim illi inferentia, quibus velut catenis quibusdam victa tenebatur, removeat, ut jam libera medicum adjuvet adjuvantem, donec utrâque vi, naturæ & artis morbus expellatur. Sed quod mirum est nec morbis insanabilibus deest medicina. Cum morti cedere cogitur, quæ universâ medicinâ potentior est & uni Deo cedit, facit certè ut leniùs ægri moriantur, dolores, qui acerbissimi mortis satellites aut potiùs tortores dici possunt sæpe mitigat, lenit vigilias, remedia adhibet non nocitura, quæ etsi ægritudine inferiora ægrum saltem consolentur & parte quadam molestiarum levent. Adde quod vitam, quam tueri non possunt, interdum longiorem efficiunt, ut ex iniquo certamine hoc saltem commodi reportetur quod nihil omiserint quod fieri posset, & nihil fecerint (dummodo arti eos deesse non contigerit) si postea accusentur quod non sapientem habeanr excusationem, præsertim si modestius agant, ne quod necessitati naturæ mortalis tribui debet medicamentis periculosioribus tribuatur. Omnibus ergo medicina salutaris, sanos à morbis arcet, vim addit infirmis, morbos curat quicumque curari possunt, insanabilium furorem lenit & faciliorem exitum præstat morituris. Unde merito ars artium dici potest, omnes aliæ homini aut habitationem, aut vestes aut alimenta tribuunt, divitias aliæ suppeditant, in aliis dignitas quæritur aut quædam voluptas, & variarum subtilitatum inania oblectamenta, quibusdam hominum pernicies comparatur, & quædam ars occidendi, sola medicina majus bonum & nobilius conservat, idque præstat quod aliæ omnes præstare non possunt. Efficiunr quidem ut homines commodiùs aut illustriùs vivant, medicina ut vivanr: & cum sit vitâ nihil homini optabilius cujus conservandæ causâ facile omnia relinquuntur, adeo ut miseram vitam morti etiam anteponant, sequitur inter omnes artes & scientias nobilissimum quemdam locum medicinam obtinere, præsertim cum de nullâ aliâ tam claré pronuntietur quod eam Deus creaverit. Uno verbo dici potest, quantum ad privatam cujusque hominis utilitatem spectat, nulla arte inferiorem esse medicinam, sed si urbium & Provinciarum ratio habeatur, nobilissimas artes regendorum populorum, vincendorum patriæ hostium & administrandæ justitiæ, quâ solâ pax regnorum continetur medicinæ esse anteponendas, ita ut tamen fatendum sit hos ipsos salutis publicæ defensores præstantissimæ artis defensione & cura indigere.

III.

QUOT verò dotibus & quo virtutum apparatu instructum esse necesse sit, qui tantæ artis dignitatem sustinere velit vix dici potest quam perspicaci ingenio esse, & quam necessaria illa Galeni ἀγχίνοια scrutanti latebras naturæ & tutam viam investiganti per loca aspera, & prærupta, in quibus nulla via cernitur, quo judicio & prudentia instructus esse debet ut non abducatur à verisimilibus conjecturis nec ratione fallatur, qua sæpe nihil aptius ad fallendum. Ut enim cum facem præfert in-

ter præcipitia ambulanti tam neceſſariam, multum prodeſt; ita qui ſe illi nimis credunt cum ſolitaria eſt, facile in errorem impelluntur. Quanta illi diligentia opus eſt ut adſit omnibus naturæ momentis, nec tempus breve prætervolantium occaſionum inutile elabi ſinat? Quantam patientiam exigit miniſtrorum & aſtantium ἀλογία variique errores ægrorum, quos facile morbus reddit impatientes, qui non perverſa aſſentatione, ſed manſuetudine & patientia leniendi ſunt? Errant certe qui ſolam in Medico requirunt ſcientiam, nec de patientiâ cogitant quæ prudentiæ maxima pars eſt. Scientia quam magna, & quam multarum rerum deſideratur, quæ omnia elementa pervadat, & quidquid continetur univerſo terræ ambitu comprehendat. Quocumque nos vertamus remediis cingimur, ſed latentibus quæ diligentius erui deberent quam aurum ex terræ viſceribus, minus certe profuturum. Ut ſubtilior & inutilis aſtrorum cognitio minus in Medico deſideretur, eorum tamen exortum & multorum effectus non ignotos, quibus corpora varie afficiuntur, ab eo penitus ignorari turpe eſſet. Quanto ſtudio res tam diverſæ complectendæ ſunt? Si deſit laboris tolerantia, nemo altius aſſurget, ſed longe infra nobiliſſimæ artis majeſtatem ſemper jacebit. Nulla fere pars medicinæ eſt quæ totum hominem non exigat; multis vita non ſufficit, qui ſe vel partium corporis, vel remediorum ſcientiæ addixerunt, & adhuc multa ſupereſſe fatebuntur quæ non ſatis cognoſcantur. Nulla quidem pars artis negligenda, cum nullum rerum genus avulſum à cæteris per ſe ipſum conſtare poſſit. Meminerimus tamen non ita hærendum eſſe in parte ut totius obliviſcamur, non enim ab unaquaque parte ſeorſim cognominamur, ſed ab univerſa arte Medici dicimur, iis magis intenti diſciplinis quæ magis ad ſanandum neceſſariæ ſint, cæteræ aut prætermittendæ, aut certe in iis non immorandum. Vix crediderim antiquis muſicam Medico neceſſariam aſſerentibus. Qui urgentur neceſſariis, quibus pares vix eſſe poſſunt, an onerandi ſuperfluis, quæ & tempus breve inſumunt, & mentem avocant, quâ totâ in re tam magnâ opus eſt, ut cenſet. Ariſtoteles non deſiderari in Geometra cognitionem alterius diſciplinæ, ex qua peritior Geometra eſſe non poſſit; ita nec in medicinâ ſtudium hominum ſaluti neceſſarium in res minus neceſſarias partiendum: nec nimis rudem in philoſophia eſſe oportet, nec nimis ſubtilem, cum ſubtilitate nimiâ ſæpe aberretur, quæ longius immorantem abducit. Rarò ſubtilior Philoſophus qui totus eſt in argumentando, bonus Medicus evadet. Ad ſanandum vocamur, non ad argumentandum: quod etſi Medico inſtituendo neceſſarium eſſe poſſit in iſtis infantiæ adjumentis, & velut crepundiis, non diu immorandum. Quamquam barbarum eſſe Medicum & prorſus elinguem incommodum ſit, fatendum tamen nil minus Medico neceſſarium eſſe quam eloquentiam. Oratori quidem ſtudium dicendi niſi accedat, os nullum eſſe poteſt, medicina vero etiam in muto mirabilis eſſe poſſet. Socrates dicere ſolebat omnes in eo quod ſcirent ſatis eſſe eloquentes: certe non requirimus Medicum eloquentem, ſed ſanantem. Sed quod maxime neceſſarium, amet Medicus Ægros, qui ſe illius fidei commiſerunt, non tantum quod amore acuitur ingenium ad inveſtigandum quod ægro ſit utilius, & ad majorem curam & diligentiam incitatur, ſed quod id multum valet ad conciliandam ſibi ægrotantis benevolentiam ægrotanti tam neceſſariam ad provocandam obedientiam, ad devorandas ægritudinis & remediorum moleſtias. Curet ergo Medicus ut ametur, non tam ut ametur, quam ut ſanet; in quo ægrotantis utilitati conſulit non ſuæ, quod verum ſit nihil aptius eſſe ad ſanandum quam diligi, ſi cætera non deſint: nil magis cavendum quam ne contemnatur. Neque enim expectanda eſt obedientia contemnentis nec ſanitas non obedientis. Nihil ergo in Medico ſit quod animum Ægri offendat. Hippocrates & Galenus in eo tam religioſi fuerunt, ut vel inceſſus & veſtium curam habuerint nec ungues ipſos & capillorum modum tanta diligentia prætererierint. Levia hæc per ſe,

ſed non leve eſt, nihil in Medico reprehendi poſſe. Maximi vero momenti res eſt, quod Medicorum Princeps ſcripſit, *Medicum ab omni mercatura & externis negotiis alienum eſſe oportere*, ne à pulcherrimo opere curis alienis avocetur; *non curioſum* ne tempus ſalvandis hominibus debitum in foro & rebus certe ſuperfluis & nihil ægro profuturis inſumatur; *non loquacem*, ſed potius taciturnum, quod fluxus verborum etiam mentis aciem obtundentium neceſſariam in tantis rebus meditationem impediat; *non avarum* ne pecuniæ amore totum ad ſe hominem rapiente à ſtudio & ab utilitatibus ægri avocari poſſit, quibus nihil debet anteponere; *non in riſum effuſum*, nam hoc, præterquam quod levitatem ſignificat, in Medico vitæ & mortis naturali judice non ferendam, defectum quemdam humanitatis oſtendit: turpe eſt enim & inhumanum eum qui in calamitate generis humani, cujus magnam partem morbi faciunt, ſemper verſetur, tam parum affici aliorum dolore ut etiam immodeſtius rideat, quod neque ægris, neque amicis ægrorum placere poteſt. Nos mirum vero ſi poſtea idem Hippocrates in Medico requirat *judicium*, ut veriſimiles & decipientes conjecturas, à verarum indicationum luce diſtinguat; *quietem*, ne de tantis rebus & vita hominis deliberanti, curæ inanes, & tumultuantium paſſionum ſtrepitus obſtare & officere poſſint; *ſcientiam*, ne fallatur; *virtutem*, ne fallat; *gravitatem*, ne contemnatur; *authoritatem* vitæ & morum laude comparandam, cui facilius obediatur; *pudorem*, qui ipſa probitatis commendatione placet omnibus & ſemper prodeſt. *Medicorum ludicros ſermones eſſe non oportet; de alienis rebus ab arte raro loquantur*; & ſi quandoque id convenire videatur, non prius quam de neceſſariis & ſeriis rebus ſatisfecerint. Quid enim æquius, quam ut ægris de ægritudine loquantur, & inde ſermonis argumentum ſumant, quod neceſſarium ſit & illis magis placeat. Meminerint non decere ut quidquid de morbo cogitaverint id paſſim in obvios quoſque effundant. Sed quid magis Medico religione & pietate neceſſarium, quæ ipſorum etiam Ethnicorum teſtimonio medicinæ tam inſita eſt, ut ab ipſa arte doceri videatur. Errat vero Aretæus qui graviores morbos ope tantum divinâ curari poſſe exiſtimat. Deus, quo curante nemo moritur, & quo non curante, nemo vivit, in magnis, & in levibus morbis regnat; nec propterea medicinæ auxilium excluditur. Quod ſanat homo, ſanat Deus, quo quidem nihil Medicis glorioſius eſſe poteſt, qui in tanti operis ſocietatem veniant, & ſimul cum Deo medente medeantur.

## I V.

UT hæc omnia habeantur, ad medicinam natum eſſe oportet. Niſi natura in futuro Medico prima artis fundamenta jecerit, ſi apta indole & ingenio careat, non magis illi medicinæ præcepta proderunt, quam ſi de agrorum cultu ſcriberetur ſterilibus terris: nec vero innata illa velut ſemina multum prodeſſent, niſi omni ſtudio ac diligentiâ & optimis diſciplinis excolerentur ad comparandam medicinæ ſcientiam, quæ uſu ipſo poſtea & exercitatione perficitur. Sola ratio aut ſola experientia non ſufficit. Nemo uno pede incedit, quin ſi unus ſuperet alterum turpis claudicatio eſt: non minus utroque experientiæ & rationis pede univerſa medicina innititur. Titubantem ſæpe rationem & non ſatis certam ſuſtentet experientia, & experientiam minus oculatam lux rationis dirigat, ut abſit errandi periculum quod ſola experientia cavere non poteſt. Incipientem ſæpius dubitare & omnia timere prudentiæ eſt, donec exercitatio contingat & quædam ex artis fiducia ſecuritas. Medicorum congreſſus utilis & maxime prodeſt penitus ſe immergere in conſuetudinem periti Medici, qui nutantem in artis operibus confirmet, & velut manu ducat ad ſcientiam ſanitatis. Qualem & quantum conſequentes ætates Hippocratem admiratæ ſunt, talem illum *opera artis* teſte Galeno reddiderunt. Experientia optima magiſtra eſt. Nec vero experientiam nominaverim uſum medendi imperitum, ex quo non major medendi ſcientia, ſed major temeritas & periculoſa audacia acqui-

ritur. Medicorum libri peritis utiliores quam imperitis, Medicos non constituunt, sed multum adjuvant si natura non desit. Utinam quod quisque esset expertus id tantum scripsisset omissis aliis quæ aliunde repeti possunt; ditior esset medicina & brevior ad illam via sterneretur, facilius est Medicum aliquid ab imperito discere, quam à Medico imperitum cui jubetur παρὰ τῶν ἰδιωτῶν ἱστορεῖν. Aliorum certe Medicorum consilium non repudiabit. Non minus forte errabit qui omnibus credit, quam qui nemini. In vitâ tam brevi nemo tantam medendi scientiam assequi potest, ut aliorum inventis & experientiâ non indigeat, qua si destituatur sibi solus non sufficit. Antiquis maxime fidendum. In Anatomicis recentiores magis exercitati. Quod Hippocratem & Galenum natura docuit, id nos ipsi docuerunt, duo illa medicinæ lumina sibi consentientia tuto Medicus sequetur. Nec aspernanda clarorum in arte Medicorum sententia, dummodo meminerimus nullam adversus salutem ægrotantis autoritatem valere posse. Mirum reperiri qui in tanta rerum ignorantiâ afferant nullas esse vires occultas. Talis scientia hominum omnia se scire opinantium ignorantiâ pejor. Naturâ non adjuvante omnis curatio inutilis, nec accusari debent qui medentur cum rerum vitia sint, non Medicorum. Ubi nihil naturæ est, nihil ab arte expectandum: aliquando tam valida est ut non solum morbi vim, sed etiam errorem superet adjuvare se gloriantium, & sola plus possit ad salutem quam medentis imperitia ad exitium: artificis igitur scientiam semper ab exitu metiri non oportet, cum aliquando convalescant, qui male curati sunt, solius naturæ beneficio, & moriantur, quibus ars non defuit deficiente natura. Sed homines ad calumniandum proni illarum gentium consuetudinem non imitantur, apud quas sollemne est Imperatorem bello victum non minus laudare quam si vicisset, cum nihil omiserit ut vinceret. Sed eo Medicus innocentior quod medicinam sæpe oporteat finem suum non assequi in hominibus, ipsa naturæ necessitate morituris. Nil magis prodest quam summa periti Medici & ægri obedientis consensio; quæ si deest, nihil periculosius. Cum enim ægrum & Medicum junctis viribus adversus morbum pugnare oporteat, actum est de vita ægrotantis qui morbo favet mortem inferenti, & Medico sanare conanti resistit, cui obedire salus est obedientis. Sed ut ægrum obsequentem habeat in necessariis, in iis quæ multum nocere non possunt, illi interdum obsequatur. Nec reprehendi debet Medicus qui paulum se inflectit erigendi industriâ. Nimia severitas inobedientiæ proxima. Cum ægro omnia negat Medicus, timendum est ne Medico omnia neget ægrotus, sed cum aliquid conceditur sola ægri non vero Medici utilitas spectanda est. Deum novit medicina, sed fortunam ignorat. Felicior in curando qui peritior est, qui majorem ad sanandum diligentiam adhibet, & propriæ opinionis non nimis tenax. Non parum laudandus est qui meliorem aliorum sententiam suæ præferat, qui minus bene sentientem amicè moneat, aut si etiam opus sit refellat sine acerbitate, & ipse refelli paratus sit sine iracundia. Non pudeat mutare sententiam, cum id ægro utile futurum est. Quis tanta de re quin varie secum disputet. Quando de vita hominis agitur diu deliberandum est & in perplexis occurrentium symptomatum difficultatibus diu cogitatione immorandum, ut utilis sententia, quæ forte properantem præteriret, eliciatur.

V.

UT ingenii acumine & judicio opus est ad dijudicandas morborum causas quæ occultæ sunt, & discernenda verisimilia tam sæpe fallentia à securitate veritatis: non minus illud requiritur ut ex tanta abundantia remediorum, in quibus multa inutilia & quædam etiam noxia reperiuntur, quæ congruentiora erunt & naturæ & morbo ægrotantis, eligantur. Medicus remediis non careat quæ sanandi sunt instrumenta, quod turpe esset. Sed adhuc turpius si remedia Medico carere contingeret. Non sola cognitione remediorum Medicus constituitur, sed magis utendi peritiâ:

ut enim maximam copiam noverit, plura opinor & commodiori ordine in Pharmacopeorum officinis diſtribuuntur, quæ tam longe abſunt ab arte. Tutiora remedia quæ non ſecreta. Cum enim ſæpius & à pluribus uſurpentur & natura remedii, & utendi ratio magis cognoſcitur. Remedia admirabili quadam vi prædita diu occultari non poſſunt: quæ in lucem non erumpunt infirma crediderim. Interdum imbecillitatis conſcientia abſconduntur. Accedit quod homines magis admirentur quod ignorant. Sed nihil ignorantiæ judicio corruptius. Nec Medicus ægrum remediorum multitudinæ obruat, nec etiam deſtituat paucitate. Nullum remedium nimis amet & nullum quod prodeſſe poſſit averſetur. Dubia, & quæ ſatis comperta non habet, Galeni exemplum ſecutus prudenter omittat, & tanquam dubia prædicet; quæ vero optima expertus ſit, libenter alios doceat. Aliud quam artem & ægros amare convincitur qui utile aliis remedium omnes celat. Optima laudet, famam detrahat nocentibus aut vi quam illis homines falſa opinione decepti tribuere ſolent carentibus. Sapientis Medici gravitate & conſtantia indignum eſt, aut falſum ſentire, aut, quod non ſatis explorate perceptum ſit ſine ulla dubitatione defendere, utinam falſa præſidia pro falſis, vera pro veris, & dubia pro dubiis haberemus! Sed cum homines inventa à ſe remedia aut à ſe uſurpari ſolita cæco quodam affectu nimium ament, falſæ laudes veram & naturalem remediorum vim occultarunt. Periculo non vacat, ſi effectus remediorum rari pro uſitatis aut uſitati pro raris habeantur. Nec calorem ſemper aut frigus criminari oportet tanquam cauſas morborum. Calidiora remedia efficacius interdum igneum calorem temperant quam frigidiora. Vinum in quo ſpes vitæ ἐλπὶς ἐς ζωὴν medicamentum utiliſſimum quamvis multis venenum ſit. Nullum tam præclarum remedium quod proſit ſemper, nullum tam anceps aut infirmum quod aliquando non proſit. Hæc omnia ſita ſunt in prudentia utentium & naturæ viribus quibus deſtituto quod vis remedium inutile. Antiquorum ſcientiæ ſed non remediis cedimus. Vereor tamen ne in ἐλλεβορίσμῳ ſuperemur. Conſuetudinis ratio non habenda eſt in præſcribendis remediis, quæ ſola præſcribere debet neceſſitas aut utilitas ægrotantis. Non magis uſurpanda eſſet venæ ſectio ſi omnibus placeret, nec minus ſi omnes averſarentur, ne ſit iſta medicina temporum, non naturæ quæ medicinæ origo eſt. Qui vulgi opinioni favet, quod illi forſan reſiſtere non audeat, peſſimum Magiſtrum ſequitur, qui decipitur facile ob ignorantiam, & facile decipit, ob quamdam autoritatis imaginem, quam in eos exercet, qui aliquid præferunt veritati. Quid præſcribat Medicus, aut non præſcribat, ſcientiæ res eſt, non voluntatis; non liberum eſt quod illi primum in mentem venerit, imperare. Non minus naturam conſulere debet Medicus, quàm æger Medicum. Habet uterque quem ſequatur, à cujus ductu ſi diſcedat, errandum eſt. Tutor ægrorum & ſanitatis id tantum poteſt quod illis utile ſit, non autoritate dominantis, ſed conſulentis modeſtiâ. Non ſemper Medico faciendum quod aliquando natura fecerit, ſed tunc ſolum, cum id ipſa faceret, ſi non impediretur. Qui naturæ nutum ad viam ſuam propendentis accuratius obſervat, acutius perſpicit, & diligentius ſequitur, peritior Medicus cenſeri debet: illam ſi non audiat tacita quadam voce veram methodum indicantem, irritus naturæ conatus bene conſulentis, culpa eſt Medici male obſequentis, nec amplius naturæ Diſcipulus & Miniſter dicendus eſt, ſed adverſarius & proditor. Non errabit qui univerſæ artis vim omnem magno quodam compendio duobus verbis complectetur ᾗ ῥέπει φύσις. In ſcientia propemodùm infinita quædam ignorari poſſunt non ſemper neceſſaria, ſed rem tam neceſſariam ignorari, cederet in medentis ignominiam, & periculum ægrotantis. Medici error medicinæ tribui non debet quæ ſemper magna eſt, etiam cum miniſtri non magni ſunt, ſive ſervata legum ſuarum conſtantia opponat ſe intemperantiæ perire volentium, ſeu demittat ſe ad infirmitatem ægrotantium, non adulantis, ſed ſanantis affectu, ſeu remediis multis, ſeu

paucis utatur sive validiora adhibeat seu leviora, eadem est nec mutatur in iis quæ sapienter mutat. Vera & unica illius lex, ad quam omnia refert, salus ægrotantium, certiora remedia suadet venena damnat, & tam sapienter se gerit ut cum illis utitur remedia sint, quidquid in rerum natura cognoscitur, usurpat ad salutem, quod nondum cognosci potuit, prudenter investigat. Cum novi morbi à Deo immittuntur, ipsa Dei justitiâ populos puniente utitur ad profectum suum, & inde fit doctior. Nullum fere sæculum est in quo novorum præsidiorum inventione non locupletetur, nihil illi deest præter ministros, quos non assumit, sed patitur. Agyrtæ, servi, mulieres, omne hominum genus illam invadunt. Cuilibet se professo Medicum statim creditur, & cum se tam difficiles Medicis exhibeant, facillimos se præbent, non Medicis, imperitis, & fallentibus, quibus nudum latus offerunt ultro ad feriendum. Sed isti officium medicorum ita usurpant, ut nec Medici nominentur, & hoc illis prodest interdum non esse Medicis, ut à stultis facilius audiantur. Quot vero ex Medicis ipsis, nec ingenio, nec scientiâ, nec prudentiâ, nec laboris tolerantiâ tam necessarii ad comparandam scientiam commendabiles. Quamvis alia non deessent quotusquisque est qui inerti otio non delectetur. Quidam vel in minimis rebus pertinaces & vincendi studio tam importuni sunt, ut à nemine sustineri possent: aliqui facile de sententiâ dimoventur, etiam verâ, & nimium flexibiles sequuntur quocumque alius ducere voluerit; alii sapientiorum consilio sapere non possunt utendi inscitiâ. Invenire est qui se solos Medicos periculoso errore existimant, ostentantes se admiratione sui solitariâ, quæ aliorum omni admiratione destituitur, contemnentes & contempti; quidam in superiores & fama celebres invidi & contumaces, in æquos & pares iniqui, in inferiores fastidiosi, nec sibi sufficere possunt ob imperitiam nec ab aliis adjuvari ob superbiam. Quot ex illis naturæ fictis adjutoribus qui nec naturam noverint, nec remedia quibus adjuvetur, qui officia Medici ignorant, & ea implere non possint quamvis non ignorarent. Utinam minus bene concluderetur.

## *Ergo in tanta multitudine medentium pauci Medici!*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Josephus Dussans.* | *M. Franciscus-Ludovicus-Thomas Donglée, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.* | *M. Petrus Lalouette.* |
| *M. Joannes-Armandus Roussin de Montabourg.* | *M. Guillelmus Fumée.* | *M. Petrus-Josephus Macquer, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius & Censor Regius.* |
| *M. Natalis-Nicolaus Mallet.* | *M. Marinus-Jacobus-Clarus Robert.* | *M. Josephus-Maria-Franciscus Lassone, Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Reginæ Medicus Primarius, Censor Regius & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.* |

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-ALEXANDER MAIGRET, Parisinus, saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1763. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1763.